

mam agere, sed corpus moveri secundum leges causarum efficientium & animam agere secundum leges logico-morales, & ex sapientissimo DEI decreto, animæ volitiones respondere harmonice corporis actionibus, & passionibus; quam hypothesin Leibnizius invenit.

## §. II.

Nostrum non est referre, quæ ab aliis Eruditis Viris prolixè factis discussa sunt. Eruditi enim fatentur Systemata illa omnia suis laborare difficultatibus. Operam daturi sumus, ut aliquam hypothesin propo-namus, quæ commercium animæ & corporis clare explicat, ejusque fundamenta collocabimus, primo: in sufficienti possibilitatis ratione, & secundo: in constanti experientia.

## §. III.

Supponimus, quod a nemine negatur, DEUM omnium rerum Conditorem movere corpora, v. g. solem, lunam, reliquosque planetas. Qvi omnes res condidit, easdem quoque movet. Existimamus, DEum conditas res non movere influxu physico, quia immaterialis est; sed influxu divino, nempe omnipotenti sua voluntate. Modus quo omnipotens DEI voluntas vel imperium res movet, captum mentis humanæ excedit, intellectus enim noster, suos agnoscit limites; certus vero est ille motus, & a nemine in dubium vocatur; uti intellectus & voluntas DEI certus est, licet nostrum intellectum excedat.

## § IV.

Supponimus porro, DEum omnia percipere, quæ in mundo materiali fiunt. v. g. siccitatem terræ, commotionem marium, preces & sermones hominum &c. sed quo modo hæc DEus percipiat etiam intellectum humanum excedit. DEus enim, qui nulla sensuum organa habet, sine iis, sineque ullo contactu cuncta percipit.

## §. V.

Porro supponimus, possibile esse DEo omnipotenti, creare substantias sibi quodammodo similes, usque spirituales facultates dare, tam quædam corpora movendi, quam motus corporum percipiendi. Possibile